

q913.392

H36d

HEINECKE

DE LELEGIBUS ET LYCIIS



## CLASSICS

The person charging this material is responsible for its return to the library from which it was withdrawn on or before the **Latest Date** stamped below.

Theft, mutilation, and underlining of books are reasons for disciplinary action and may result in dismissal from the University.

To renew call Telephone Center, 333-8400

UNIVERSITY OF ILLINOIS LIBRARY AT URBANA-CHAMPAIGN



Digitized by the Internet Archive  
in 2014

<https://archive.org/details/delelegibusetlyc00hein>

Classics 913.392  
H36d

# Jahresbericht

des

# Lyceums zu Wernigerode

über

## das Schuljahr von Ostern 1862—1863,

mit welchem

zu der öffentlichen Prüfung am 30. März

ehrerbietigst einladet

der Rector

**Wilhelm Bachmann.**

Praemittitur:

## De Lelegibus et Lyciis.

Scriptis Christianus Heinecke.

---

Wernigerode,

Druck von B. Angerstein.

1863.

UNIVERSITY OF  
ILLINOIS LIBRARY  
AT URBANA-CHAMPAIGN

Handwritten text at the top of the page, possibly a name or title.

# Handwritten title or main heading in the upper middle section.

Handwritten text below the title, possibly a subtitle or a reference number.

Handwritten text in the middle section, possibly a date or a specific reference.

Handwritten text in the middle section, possibly a name or a location.

Handwritten text in the middle section, possibly a name or a location.

Handwritten text in the middle section, possibly a name or a location.

Handwritten text in the lower middle section, possibly a name or a location.

Handwritten text in the lower middle section, possibly a name or a location.

Handwritten text at the bottom of the page, possibly a signature or a date.

Small handwritten text at the bottom of the page.

## De Lelegibus et Lyciis.

Leleges ante Trojae excisionem<sup>1)</sup> insulas et oras maritimas tenuisse<sup>2)</sup>, junctis ceterorum populorum armis debellati ex insulis in continentem depulsi<sup>3)</sup>, a Jove iniquo dispersi traduntur.<sup>4)</sup> Haec quamquam prima specie contraria inter seque pugnantia, tamen nequaquam inter mera commenta esse releganda, hac commentatiuncula ita demonstrare studebo, ut praecepta, quae mihi in tractanda, quae mythica dicitur, antiquitate adumbrem extremisque lineis describam. Exempla potissimum a Lelegibus et Lyciis repetam.

Ac primum quidem eo a recta via mihi aberrari videtur, quod rerum traditarum interrupta serie continua divelluntur, quae nisi conjuncta atque ad originem suam communem relata intelligi non possunt. Quaecumque enim traduntur de temporibus illis antiquissimis vetustate obscurata, sive Deorum versentur sive Heroum sive populorum in historia membra quasi corporis lacerati mihi videntur in diversissimas partes disjecta studiaque nostra eo intentenda, ut collecta illa in suum quodque locum restituamus, quo quae fuerit rerum publicarum antiquissima ratio in aliquem certe modum cognoscamus. Populi autem nomen cavendum est ne opinemur, id quod jam pridem Niebuhrius monuit,<sup>5)</sup> eodem olim, quo posterioribus temporibus, esse usurpatum. Designat procerum ordinem sive gentiles,<sup>6)</sup> penes quos rerum divinarum et humanarum cognitione imbutos summa erat rerum publicarum potestas, quosque ab officiorum dignitate, qua laetabantur, conjicere licet esse denominatos, velut Curetes, Cretes, Quirites, quorum nomine quin Potes, Potentes juxta ac Divi (Divi Potes) designentur, vix dubitari potest. Sed sublata illa rerum publicarum administrandarum forma legibus fulta divinis unaque praevalida gentium potestate, cum per

<sup>1)</sup> Strab. 12. p. 222.

<sup>2)</sup> De sedibus Lel. II, 10, 429. 21, 88. Herod. 1. p. 69. Eadem Strab. 14. p. 758., non laudato Herod. Strab. 7, p. 372. 373. 9, 463. 13, p. 245. 7, p. 589. 14, 400–402. 13, p. 680. 681. 701. Dion. Hal. 1, p. 8. 20. Diod. Sic. 5, 61. Pans. 3, p. 181. 182. 4, p. 285. Plut. quaest. gr. T. 8, p. 403 sqq. ed. Hatten Pans. 7, p. 369. Plin. 5, 29. 30. Varro de L. L. 4, 8. Ovid. Met. 8, 6. 7, 443. 8, 312. 9, 646. Virg. Aen. 8, 725. Serv. ad Virg. Aen. 7, 659. Pomp. Sab. ad Virg. 1, 486 fin. p. 1360. Lucan. Phars. 6, 381. Solin. Polyhist. 13, p. 239.

<sup>3)</sup> Strab. 13, p. 759. Paus. Achaic. 7, p. 399.

<sup>4)</sup> Strab. 7, p. 373.

<sup>5)</sup> R. G. 1, 610 ed II. D. Müller, Handb. der Archäol. S. 24. Hüßmann, römische Grundverf. S. 5 Rubino über röm. Verf. S. 228.

<sup>6)</sup> Niebuhr, R. G. 1, 334. D. Müller, Dorier 2, 199.

seculorum cursum mutata esset universa vita et publica et privata, fieri non potuit, quin permulta, quae inde ab illa aetate prodita essent et loco suo rerumque serie, qua sola intelligi possent, exempta et ad morum rationem a veterrima consuetudine plane alienam accommodata non raro in miram abirent significationem. Quare memoria rerum antiquissimarum multifariam variata multisque locis adeo est depravata, ut mera figmenta aut somnia nobis obrudi videantur puerilia atque inepta. Pro certo tamen habendum existimo, per totum historiae ambitum haud quidquam offendi, quod jure inter mera referas commenta. Proficiscuntur etiam ea, quae nihil nisi fabularum ludum exhibere videntur, a verbis olim inter se connecti solitis, quibus detectis ad illarum fontem proxime accedi potest. Ac quamquam Graeculorum levitas in proverbii consuetudinem venit, tamen religio iis erat, patriae historiam consulto meris deformare mendaciis, et sicuti, qui artium ingenuarum laudem et gloriam affectarent, fore desperabant, ut operibus suis gratia esset apud populares, nisi eorum fundamenta ex certis quibusdam patriae historiae monumentis depromississent, ita quae figmentorum speciem praebent, aequalibus nisi ausa aliqua narrationis inventa historica, nequaquam placuisse existinandum est.

Quod ea nomina, quae ad formam, qua res publicae administrabantur, referenda nec nisi de ordinibus regnandi potestate ornatis intelligenda, memoria antiqui usus obscurata in significationem nominum priorum transierunt, effecit, ut praeter alias multas rerum diversissimarum mistiones populi potentissimi, quorum nomina nihil nisi dignitatis publicae varia officia designant, deinceps regnasse ferrentur, dissidia quoque et bella, quae fuerunt interna, pro externis haberentur, qua opinione difficultates adeo auctae sunt, ut vix dici posse videatur, qua arte sint tollendae.

Id in Pelasgos maxime cadit. Nemo igitur, quam sedula studia in res Pelasgicas collata sint, sed ad nostrum usque tempus, quae viri docti laboriosissima sua opera cognita ac perspecta habere putant in diversissimas discedunt partes et contendere ansim numquam fore, ut tenebrae dispellantur, nisi via studiorum solita decedatur. His praemissis ad Leleges transeo.

Leleges a Strabone cum Pelasgis et Canconibus ita nominandus, ut horum nominum discrimen tollatur. Pelasgi Welckero sunt nobilitas quaedam sacerdotalis,<sup>1)</sup> Cancones Illustres; quam explicationem proxime ad verum accedere censeo, Canconumque, quam dixi, interpretatio Welckeriana si probatur, Cancones iidem sunt cum Cydonibus — Cretibus,<sup>2)</sup> nomen autem Lelex ultro quasi vatis significationem offert, cum vix dubium esse possit, quin e forma λεγ — reduplicata prodierit. Leleges Graecos esse, praeter quam quod Pelasgi nominantur, quibus a Thucydide<sup>3)</sup> et aliis rerum graecarum scriptoribus graeca vindicatur origo, inde quoque apparet, quod et ob nomen Canconum, quo Leleges et Cydones, populus Cretensis aequantur, et ob vincula quibus cum Neptuno sic conjuncti sunt, ut Lelex filius ejus dicatur,<sup>4)</sup> a Cretibus non sunt segregandi. Haec nomina inter se nec non cum aliquot aliis conjuncta nos ad certas quasdam de Diis opiniones deducunt e memoriam civitatum] Neptuno quondam addictarum, hujusque nominis vim et rationem vetustate obscuratas illustrare poterunt. Namque Ποσειδῶν ἐπίκλησις dicitur Crethi et Regis.<sup>5)</sup> Κρηθεύς autem. Ετεόκης inversa simplicium ordine Τευκρός eadem sunt nomina, quamquam miro paullatim usu mutato ad res plano diversas adhibita inter seque distincta. Significant nihil aliud quam anni ἔτεος, temporis in universum, potentem, (κρήτα) sive cum, qui temporis spatia dimetitur, ordinat, disponit, dies ergo festos, fastos, nefastos, quae sacra quoque tempore faciunda sint, decernit. Hi iidem sunt Cydones, Cancones, Curetes, illustres et domini. Quo ipso dominatu cum omnis potestas civilis niteretur, factum est ut Creta, postquam temporis

1) Ueber eine kret. Kolonie in Itheben S. 29. 30.

2) Diod. Sic. 5. 80. Strab. 10, p. 540.

3) 1, 3. Dion. Thal. 1, p. 20. Apollod. 2, 1. 1.

4) Nat. Comes p. 169. Filius Neptuni et Libyes Pans. 1, p. 73 fin. 75 med. p. 82 fin. 83. Cancon filius Nept. Atheniens L. X, c. 2.

5) Paus. 4, 219. cf. 2, p. 141. 142.



progressu Cretum nomen in insula illa defixum est, pro Curetum antiquissimorum patria haberetur nomenque Curetidis gessisse traderetur,<sup>1)</sup> ut traditionum interpretes nomen Romanorum Quiritium a Curibus, Sabinorum urbe, originem suam traxisse docerent. Κρόνον tempus esse nomine ipso, Δία eundem cum illo vocabulis δῆν, diu, dies probatur. Hujus autem notionis origo cum a nulla alia re nisi ab orbe Coeli in se ipsum redeunte repeti possit, Οὐρανός, Κρόνος, Ζεὺς tria sunt ejusdem rei nomina, quamquam, ut fieri solet, per totam Deorum et Heroum et populorum mythologiam ita deinceps collocantur, ut vi certaminum alter in alterius locum successisse tradentur. Temporis ipsius symbolum anguis est. Cum autem religio ista a Coelo repetita carere non posset ministris mortalibus, qui sapientia reconditori et singulari numinis gratia prae ceteris hominibus quibuscum eidem societati civili adscripti essent, imbuti, quae numen revelasset, aperirent in usumque publicum verterent, cum Coelo ipso ministri<sup>2)</sup> quoque, quamquam alio sensu, Eteocretes erant, unde facile fieri poterat, ut Dii et Curetes vices inter se permutare viderentur. Ac cum et Troes Cretes<sup>3)</sup> nominentur, perspicuum est, inter Κρόνον regno suo Cretico expulso sedesque petentem externas et inter Troes devictos patriaque profugos nihil interesse, nec mirandum eadem de causa, si Graeci mythos illos de Κρόνω et Troibus pari fide percipiebant.<sup>4)</sup>

Eadem ratio, qua Κρόνος et Επεόρηης inter se conjuncti sunt, intercedit etiam inter Neptunum et Leleges, id tamen non ita intelligendum est, ut opineris Leleges alios esse ac Curetes, sponte enim patet, Leleges, ut vaticinii singulari honore insignes, Curetibus annumerandos esse. Praeterea Neptunus sicuti Lelegum ita et Troum saluti summo favet studio et in fatali de Neptuno reportata victoria tota quasi versatur actio et Iliadis et Odysseae, ut appareat, quo jure Strabo referat, Pelasgorum et Lelegum — Canconum nationem fuisse ante res Trojanas, nec non cur nihil referat, utrum quaestionem nostram a Saturno an ab Eteocretibus, Neptuno, Lelegibus, sive malis a Minyis, Tyrrhenis aliisque populis, quorum Eponymi filii Neptuni vocantur ordiamur. Nam qui Deorum filii nominantur, horum sunt κούραι sive ministri, Deorumque universa historia in iisdem rebus versatur, in quibus, quae de ministris traduntur. Id ipsum ad originem quoque quae fertur Neptuni et Lelegum<sup>5)</sup> aegyptiam communem est referendum. Multum disputatum est a viris doctis pro Danais in Pelopenneso colonis et contra, sed ut probari non possit, fuisse Aegyptios, qui e patria sua in Graeciam transmigrarent, famae auctores vim certe ac rationem religionis suae antiquissimae perspectam habuisse putandi sunt, ut quae si non perfecta imago at simillima est de natura Deorum disciplinae aegyptiae.

Ac primum quidem constat, disciplinae illius summam opiniones fuisse de morte. Quare ab Orco proficiscimur. Ὀρνος sive ἔρνος terminus est, et qui factum sit, ut vocabulum terminus in significationem mortuorum receptaculi transiret, sic mihi explicandum videtur. Apparet, si theologia veterrima opinionibus de morte continebatur et Eteocretum veterrimorum dignitas temporum demensione et computatione tamquam fundamentis nitetur, placitorum summam a Κρόνω. Dite, repetendam fuisse. Sed cum ejus circa terram cursu specioso et Solis rotatio comprehendatur, Coelus nocturnus cum Sole extremo ponto submerso terrae aquis circumfusae tenebras designat. Jam vero constat, opiniones de morte arctissime connecti solere cum Solis occasu. Inde facile est intellectu, qui fieri potuerit, ut temporum dudum praeteritorum oblitterata memoria sensuque verborum, quibus summa theologiae proponebatur, vero et germano parum ant percepto ant respecto ab Orco illo sive de termino terrae occidentalis sedis mortuorum nomen repeteretur. Quamquam autem tenebrarum regno supposito nihil differt, a quam mundi parte ad religionis antiquissimae rationem explicandam proficiscamur, tamen rei dilucidandae omnium optime inservit Neptunus et

<sup>1)</sup> Serv. ad Virg. Aen. 3. ad verba „Et tandem antiquis sqq.

<sup>2)</sup> Aelian V. II. 4, 12. Cretes sacra Delphica curantes Hymn, in Ap. v. 388 sqq. 535 sqq. quod respicit Tibullus IV. 1, 8, 9.

<sup>3)</sup> Virg. Aen. 3, 104. cf. Serv. ad Virg. Aen. p. 376.

<sup>4)</sup> Grote, griech. Mythen und Antiquitäten. Bd. 1. S. 3. (Fischer.)

<sup>5)</sup> Paus. 1, p. 82.

Sp. Class. B. 8 Ap. 11 Fock. B. 4

quidem Neptunus Consus sive absconditus, qui arcem et Troum-Cretum et Orci extraxit. Panca tamen ante mihi dicenda puto de Ceteis, cujus nominis clara significatio interpretum errore mirum in modum depravata est.

Tenent cum Lelegibus in magno illo populorum numero, qui in ditione sunt Priami senis, regis regum<sup>1)</sup>, praecipuum locum<sup>2)</sup> neque cum Lelegibus, Troibus-Cretibus, nisi ex veterum narrationibus seligere malis, quae tibi forte videantur, ex prisca rerum romanarum memoria quaquam exterminandi, pro necessitate potius, qua connexus, quo omnia, quae reperimus tradita, inter se continentur, observari solebat, sicuti Phrygiae ita et Latii antiquissimi populi nominantur eandemque ob causam Ceteorum pariter ac Phrygum nominis memoria ita ad posteros propagata est, ut cum Italiae tum Latii primi incolae fuisse dicerentur.<sup>3)</sup> Patria eorum Macedonia esse dicitur.<sup>4)</sup> Sed cum nomina *Μακεδών*, *Μυγδών*, Macedonia et Mygdonia sine ullo discrimine de eodem populo et de eadem terra usurpentur<sup>5)</sup> et Mygdonia nihil fere nisi alterum nomen Phrygiae sit,<sup>6)</sup> nec Cetei, nec Macedones, nec Phryges ex historia Latinorum ejiciendi sunt, nomina vero Cetei et Mygdones invicem sese ipsa explicant. Nomen enim *κῆτειος* una cum *κεύθω*, *κτείνω*, *κοῖτος*, *χθών* et aliis e „κτ-χθ-“ efformatum est, qua admissa derivatione Cetei cum Neptuno Conso conferendi, unde ad rerum civilium rationem sacris a Coelo nocturno vel Sole absconso repetitis firmatam ita deducimus, ut eluceat, Neptunum absconsum et Neptunum chthonium nullo discrimine inter se differre.

Ex eorundem vocabulorum mira interpretatione opinio ista emanavit, sicuti Deos ita et populos, Pelasgos, Phryges<sup>7)</sup>, ipsos Athenienses ante Euryalum et Hyperbium specus incoluisse<sup>8)</sup>.

*Μύχιος* idem est ac Latinus (a lat-λαθ-) quod eo minus dubitationi expositum est, cum Latinus et Agrinus in recessu (*ἐν μυχῶ*) insularum sacrarum cunctis olim Tyrsenis imperitasse dicantur<sup>9)</sup>. Hoc nomen jure Goettlingius omnes eos populos complecti existimat, qui antiquissimis temporibus navigatione ac commerciis florentes oras maris mediterranei tenuissent. Idem autem si Latino feruntur paruisse, is pro communi nominis significatione in Jani locum substitutus est putandus, ut qui a Latinis coli non potuisset, nisi ipse una cum Latinis suis Latinus sive *μύχιος* erat. Accedit, quod Latini et Leleges sunt et Cetei, Janus (ab *ἵω*, Vadimon, Vertumnus<sup>10)</sup>); quibus nominibus nihil clarius rotationem Solis denotat qui absconditus (*μύχιος*) imperium exercet maris et navigationis, nec reperitur quidquam, quod certius ad Crethi munia referendum sit, quam Janus in globo insistens ac bifrons. Dominus quasi est Coeli, temporis, Solis et orientis et occidentis, annique, additum autem naviculae symbolum insigne juris de mari ac navigatione: est *βασιλεύς μύχιος* cunctis Tyrsenis ex inferis imperans. Invocatur una cum Vesta in omnibus sacris faciundis. Vesta vero (*Ἰστία*, *Ἐστία*) ipsa est ignea, *κοῦραι* ejus sive ministrae Vestales (*αἰθαλαῖ*, *αἰθαλιῖς*) aeterni ignis occulti sanctae custodes. Inde apparet, sicuti Janum Solem absconsum ita Vestam fuisse Lunam absconsam, quae reliquiae quasi sunt antiquissimae theologiae. Jani *μυχίου* terra aequo necessario Italia et Tyrrhenia atque Opica (Ophica - Anguinea) et Ansonia<sup>11)</sup> (aurea) fuit. His

<sup>1)</sup> Strab. 13, p. 692 fin.

<sup>2)</sup> Strab. 14, p. 399.

<sup>3)</sup> Reiske ad Cluver. Geogr. p. 253. Michael Spicileg. Geogr. T. 1, p. 103. Cedren. Institut. p. 14. Cetei sive Curetes Aetoliae Strab. 10, p. 530. cf. Sil. Ital. 15, 307. Plin. H. N. 4, 1.

<sup>4)</sup> Jes. 23, 1. *מִצְרַיִם* Maccab. 1. 1. Alexander *ἐν τῆς γῆς Χεττιεῖμ* Perseus *Κιτιαίων βασιλεύς*

<sup>5)</sup> Herod. 7, 186.

<sup>6)</sup> Boebryces-Phryges Strab 14, 100. Mygdon, rex partis Phrygiae II. 3, 185. Boebryces in agro Troj. Conon narrat. 12, p. 12. Bryges in Maced. Strab. 7, p. 379. Mygdonia-Phrygia Pitiscus Ant. R. et Gr. Lex. T. 1, p. 622 v. Cybele. Mygdonia-Phrygia Statius Theb. 2, 134. Ov. Heroid. 5, 142. Horat. Carm. 2, 12. 22. Ov. Met. 2, 247. Tyrtaeus 3, 6. Plin. 33, 15.

<sup>7)</sup> D. Müller, Archäologie. S. 30.

<sup>8)</sup> Plin. H. N. 7, 56.

<sup>9)</sup> Theog. 1013. cf. Macrob. Saturnal. 1, 7 p. 186 ed. Pontan.

<sup>10)</sup> Barthius ad Plin. epist. 8, 20.

<sup>11)</sup> Ansones - Aurunci Niebuhr R. G. 1, 70. 71. ed H.

iisdem causa quoque societatis patescit, quae Jano Quirino sive Cretheo est cum Saturno Cretheo. Adeo constant sibi omnino quaecunque traduntur de seculis praeteritis, ut per colluvionem rerum specie diversissimarum filum quasi pertendi videatur, quo relecto exitum ex Labyrintho inveni-  
 possis, quia, quantacunque est narrationum varietas, sub qua veri vestigia lateant, tamen quid-  
 quid refertur, a propositis quibusdam nominibus nusquam non proficiscitur, quod etiamsi narrationi  
 non insertum est, tamen saepissime hand difficulter ex rerum contextu divinari potest.

Hujusmodi narrationibus accensendum est, si ut Sabini Aborigines<sup>1)</sup> erant iidemque Thessali<sup>2)</sup>, Argivi<sup>3)</sup>, Leleges<sup>4)</sup>, Curetes<sup>5)</sup>, Spartani<sup>6)</sup> fuisse dicuntur, ita omnium fere populorum sedes patriae aliae ab aliis nominantur. Haec tanta rerum confusio soli nominum interpretationi tribuenda est antiquissimorum, quorum olim significatio longe alio spectabat et postea at ut ex-  
 tant explicata in statumque rerum posterum adhibita, id habent commodi, ut a nexu rerum de-  
 tecto exorsi dimotisque, quae vaga et fluxa, assurgere possimus ad rerum publicarum principia. Videmus enim, qui fieri potuerit, ut Sabini, quorum majores Lelegibus annumerabantur, Sparta oriundos se jactarent, ut nomen Lelegum, quibus vatibus nulla utique prisca civitas carere poterat, adeo non intelligeretur, ut eo *λευτοί* sive colluvies variorum populorum undecunque confluentium designaretur, ut ab nullo unquam veterum scriptorum nomen *Ἀλτης*,<sup>7)</sup> quem Strabo Lelegum prin-  
 cipem, cujusque filiam Priamo dicit nuptam<sup>8)</sup> cum Salio conferretur, nec quisquam idem hoc no-  
 men cum „*κόρος*“ „*Χόρος*“ „*χορεύτης*“ compararet. Adde *Λαικεδαίμονα κητώεσσα* Homericam. *Λαικεδαίμονος* qui idem necessario Ceteus est (*χθόνιος*) significationem nunquam existimes memoria cedere potuisse<sup>9)</sup>, nihilo antem minus nec ullum ejus vestigium est relictum. Similis est usus no-  
 minis „*κήτειος*“ in Neptuno pisce insidente. Indicio est, *κήτειον* Consum fuisse et equitem, et epi-  
 theta „*κήτειος*“ „*ἰπποκήτειος*“ aequae inter se permutari solita ac „*κούριος*“ „*ἰπποκούριος*“ „*κένταυρος*“ „*ἰπποκένταυρος*“. Debeatur praeterea templi saxi excisi,<sup>10)</sup> quod Neptuno Taenari erat, origo in-  
 terpretationi nominis „*κήτειος*“ Pari errore explicata est vox *διΰπετής*, quae miras progenuit opi-  
 niones ac superstitiones. *Ξόανον διΰπετές* Palladium erat sive Palladis, numinis arcium tutelarum, si-  
 mulacrum a Jove Coelo dejectum. Proficiscendum est a verbis casum et volatum significantibus, quibus radix *πτ-* subest et continuo patebit illud *Ξόανον διΰπετές* simulacrum esse Lunae Coelo in  
 profundum degressae, ad quam infra redibimus. Similem in modum *Clypeus* est explicandus Coelo  
 delapsus, quem Salii circumferebant. Sicuti enim Palladium simulacrum est Lunae absconsae sive  
 novilunii, ita *Clypeus* symbolum est Solis a Coelo in profundum demissi.<sup>11)</sup> Quocunque igitur nos  
 converterimus, ad eandem semper deducemur opinionum seriem perpetuam a rebus ubique ad-  
 spectabilibus ita profectam, ut quidquid describitur, Coelo nocturno definiatur. Huc potissimum  
 pertinet *ὄφις* (*ὄπτεςθαι*) *δράκων* (*δέρεσθαι*) signa Coeli luminumque coelestium in se ipsa redeun-  
 tium. Apparet, quam facile fieri potuerit, ut, quod illorum proprium esset, id signis quoque eorum  
 tribueretur. Itaque ut Dii, Heroes, populi *κήτειοι* (*χθόνιοι*) sunt, ita et anguis. Inde serpens iste  
 ingens, occultus accommodate ad poetarum usum Python nominatur, quo necato ab Apolline Ly-  
 caeo, sive Sole diurno, inferorum adversario, totum quasi praeceptorum Aegyptiorum systema

1) Varro L. L. 4, 8.

2) Strab. 5, p. 237. Plin. H. N. 3, 15.

3) Plin. H. N. 3, 5.

4) Dion. Hal. 1, 8.

5) Justin. 43, 1.

6) Plutarch. v. Numa C. 1.

7) Jl. 21, 87.

8) Strab. 13, 681.

9) *Κουρήτες δαίμονες* Klausen Aeneas und die Penaten. 1, 7.

10) Serv. ad Virg. Aen. 6, p. 1032. Horat. Od. 1, 34

11) Idem ac *διοπετής* est *λαπετός* = *αλαπετός* in inferos demersus. *Κρόνος αλαπετός* = Coelus nocturnus, *λαπτός* dejectus Welckero est primus homo. Griech. Mythol. 1, 740.

explosum videtur. Ceterum nec Leleges suo ipsorum nomine vates Pitheorum cognomine fraudari poterant. Fuit enim Lelex Troezeniorum Neptuno Conso deditorum celeberrimus quondam rex Pitheus<sup>1)</sup> cognominatus, nec non populi fuerunt, qui ob nominum similitudinem a Lelegibus originem suam ducere se praedicarent, velut Pitanitae<sup>2)</sup>, Pisidii<sup>3)</sup>. Cujusmodi quidquid traditur ad nomina Lelegum — Pitheorum — nomina enim per totam et Deorum, et Heroum et populorum mythologiam rerum tenent dominatum — revocandum est. Postremo moneo, Pterelaum illum Apollodoricum<sup>4)</sup> nihil esse nisi Neptuni epitheton, cui pauca addere mihi liceat. Περσειδῶν ἱππότης, ἱπποκούριος cognominatus ob id ipsum cognomen historiae monumentorum interpretibus equi est creator, et cum arx et ordo equester sint inseparabiles, arcis quoque est extractor et Teucrae<sup>5)</sup> et Orcinae regiampue habet suam sub mari auro fulgentem. Apparet hic quoque arcium illam regnantium aetatem haud excedi, et quae modo commemoravi, ea necessitate inter se esse connexa, ut, cum arces sacra essent devinctae disciplina a nocte sive a Sole in extremum pontum submerso repetita, auro Coeli stellis consiti sive nocturni ad sedem Neptuni Consi translato, ejusdem arx et subterranea et aurea dici posse videretur. Solis autem infera sedes sejungi non poterat a dominatu in terram aliquam ejusque incolas, cui rerum inevitabili conjunctioni lepida illa debetur inferorum regni populorumque mortuorum imago, qua aliquatenus ea forma rerum publicarum exprimitur, quam aliquo jure aegyptiam nominare possis; quaeque devincta interiit arce et Teueria et Orcina istoque serpente propheticum monstrum, subterraneo. Sequitur inde, ut Deos et Heroes ita et populos fuisse duplices, superos et inferos. Horum domicilium αἶα ab ἄω denominata sedes est vaticiniorum. Hic quoque vinculi monemur, quo vaticinium et mors continentur, perspicue vero id cognoscitur ex usitata consociatione Aonum, Tembicorum, Hyantum, qui Boeotiae feruntur antiquissimi populi. Aones ut Leleges κοῦροι sunt Neptuni Consi, Tembicos apertum est nomen suum trahere a „Ἰάμβος = sepulcrum, et quid aliud Hyantes esse censebimus nisi eisdem cum marinis i. e. ποντοῖς, per literarum metathesin ποτυλοῖς a ponto denominatis, quem et ipsum mortem esse constat, quique haud minus certo efficit, ut epitheton „πότυλιος“ praecipue Diis marinis tribueretur. Conferas praeterea cum his nominibus eam traditionem, qua Leleges Boeotiae ita assignantur, ut Solinus<sup>6)</sup> censeat, inter Leleges et Boeotos nihil esse discriminis, neque est, cur de ea re dubitetur, cum in Boeotia Aonia, Tembica multa νεκρομαντείας vestigia superessent. Sed redeo ad Neptunum Censum.

Nomini „αἶα“, quae a gignendo γῆ, γαῖα vocatur adjungenda est forma A<sup>ν</sup>ίς-αἶξ capra, hircus. Is Sol est occultus, nullibi sejungendus a Coeli hemisphaera in Orcum demersa, neque quidquam differt ab Aeolo Neptuni filio i. e. ministro κούρω<sup>7)</sup> quamquam in hoc Cetei memoria adeo est oblitterata, ut nihil relictum sit, nisi ejus ventorum sinu terrae clausorum ex specu imperium a Neptuno ipsi ministro commissum. A<sup>ν</sup>ίδα autem uno hoc numine suo et haedum fuisse et Orcum haud mirandum est, cum Ἴταλος et virtulus sit et annus<sup>8)</sup> Praeterea si Ὀρκος sive Neptunus et Πόντος alter cum altero ita consociantur, ut equus et aquae mortis insignia fierent facile evenire potuit ut αἶγες paulatim in undarum significationem abirent. Αἰγαῖος autem par est αἰωνίω, αἰδίω, temporis domino et χρόνω, αἰῶνι, tempori ipsi, vel Cretheo Conso, qui lusu carminum epicorum in monstrum Αἰγαίωνα transmutatus est haud diversus a Βριάρεω, qui βριαρός est κρατύς et quiris. Ultro in mentem mihi venit miraculum Chimaerae caprae ignivomae, qua memoriam

<sup>1)</sup> Ovid. Met. 8. 567.

<sup>2)</sup> Strab. 8. p. 624.

<sup>3)</sup> Strab. 12. p. 218.

<sup>4)</sup> Heyne observati. ad Apollod. p. 127 fin. ed. II.

<sup>5)</sup> Jl. 7. 452.

<sup>6)</sup> Strab. 7. p. 373. Schol. ad Pind. Olymp. 6, 2, 8. vid. Schmidt ad Pind. Olymp. p. 175.

<sup>7)</sup> Polyhist. 13.

<sup>8)</sup> De vocabulis „vetus“ „vitalus“ „ἔτος“ „ἴταλος“ vid. Kuhn, Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung T. XI. vol. 3. p. 207.

Lelegum eorumque νεχρομαντείας servari memoriam eo certius est, quod Κιμμέριοι a tenebris denominantur, ex eorumque consociatione cum Lelegibus et Pelasgis <sup>1)</sup> conjicere licet, nomina illa inter se cognatae fuisse significationis. Eadem significatio est vocabuli „ταῦρος“ reduplicatione in „τάρταρος“ transformati, quae explicatio eo est probabilior quod Ζεὺς ipse Ταῦρος est et Τάρταρος. At haec hactenus. Transeo ad Athenam.

Ἄθηνᾶς nomen ab αἰθ- αἶθ- (ardere) derivandum est. Neptunus aut equo vectus proponitur aut curru, Cretheus, temporis potens, arcium conditor est, rex idem et vates, geritque τριαιναν, fuscinam, frustis sacrificatae carnis ex aheno depromendis servientem, tamquam insigne officii sacerdotalis. Athene est Curetum dux, bellatrix, κόρα gravis armaturae a Caribus inventae, qui non rarius quam Curetes cum Lelegibus armiferis <sup>2)</sup> conjunguntur, ut Herodotus <sup>3)</sup> Strabo <sup>4)</sup> Pausanias <sup>5)</sup> utrorumque nomina unius ejusdem populi fuisse censeant. Ejusdem originis nomina sunt ἰτωνία, ἰταλία, ἰθαγενής. Quare sicuti Janus Ceteus in omnibus faciendis sacris una cum Vesta invocabatur, ita Neptunus cum Athene conjungi solet. In loca infera degressa atra est nox sive novilunium cujus horrida species figuris Gorgones, Medusae aliisque monstris repraesentatur, ex inferis egressa, astris cincta est, peplo ornata stellato, astrorumque dux. Atque cum et ipsa κόρα sit κατ' ἔξοχήν, et eques sicut Neptunus, equitum quasi coelestium et equitum terrestrium temporum orbis (annos, annulos, ἐνιαυτούς) suo quisque sensu definientium, anguis est atrix, arcium ordine equestri sustentatarum fautrix et tutrix. Quae cum ita sint, ἰθαγενεῖς et διογενεῖς inter se non differunt, ac si quid intersit, ἰθαγενεῖς arctius cum Athena tamquam cum anno lunari conjungendi videantur. Nam Arcades ab ἀρκέω, ut videtur, denominati eoque nomine honore ultimae antiquitatis insigniti non solum ἰθαγενεῖς sed etiam προσέληνοι vocantur. Tantum vero abest, ut credibile sit veteres isto nomine Arcadum vitam antelunarem indicare voluisse, ut προσέληνοι variatam quod vatum est nominis (σελλοί) formam ita exhibeant, ut vatum munia ordinata videantur luna ejusque vicissitudinibus, ut quibus antiquitus usque ad nostrum aevum varia superstitio alatur ac sustineatur. Nomen enim „προσέληνοι ad normam vocabulorum προμηθεύς, προφήτης explicandum est, atque ut a προ- (πρόω) Πρωτεύς, vates, et πεπρωμένη sors praedestinata sive fatum derivandum, ita προσέληνος vates est vaticinia sua a luna repetens

His paucis exposuisse sufficiat, quem antiquissimis temporibus rerum et sacrarum et profanarum fuisse statum censeam. Disciplina, ad cujus normam quaecunque ad res publicas pertinent, accomodata reperimus, ita proficiscitur a contemplatione universi mundi, ut species ejus nocturna vel nox tamquam mortis imago aequae vera ac horrida praeponderet. Itaque nequaquam injuria Graeci in aevo illo Aegyptii quid augurati Danaum et Lelegem Aegyptios nominarunt. Coelus enim, magna ejus lumina, terra mari circumfusa universa est res, in qua opiniones de divino numine versantur, ac quidquid est Deorum ad unam illam est revocandum. At duplex est species rerum adspectabilium, altera die oblata, altera nocte, et ad duplicis hujus rerum adspectus normam judicandum est, quidquid de Diis, de Heroibus populisque memoriae proditum est. Quae ab adpectu Coeli nocturni repetuntur sacra, ea Lelegum praecipue propria, referenda antem sunt potissimum ad mundi speciem dinrnam, quae de iis Diis, Heroibus, populis traduntur, qui Lycii vocantur, velut Ζεὺς, Ἀπόλλων, Ἡρακλῆς, Δωριεῖς. Quamquam enim Lycii iisdem legum vinculis adstricti cum Lelegibus uni adscripti erant societati <sup>6)</sup> civili nec fieri poterat, ut lucis vicissitudinum ratio sacris ritibus excluderetur, tamen pro varia locorum natura et situ alibi alia praevaluerunt sacra instituta, atque ex Neptuni Consi late per oras maris et Peloponnesi et Thessaliae fertilissimos agros dure regnantis potentia concludere licet, ministros (κούρους) ejus, Tyrrhenos, Minyas, Leleges, Achaeos

<sup>1)</sup> Antandros Lelegum erat et nominabatur Pelasgis, Cimmericis Herod. 7, 42. Plinius H. N. 5. 30.

<sup>2)</sup> Ovid. Met. 9, 651.

<sup>3)</sup> 1, p. 69.

<sup>4)</sup> 14, p. 738.

<sup>5)</sup> 7, p. 399.

<sup>6)</sup> De sedibus Lyciorum Strab. 12, p. 667.

